



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Ioannes XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

A dictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinion. x. Calend. Februar. Pontificatus nostri Anno secundo,

I O A N N E S XXII.

*Inquisitores modesti sunt: caueant ne actus eorum scandalum pariant; neminem accipiant in suam familiarem, nisi eiusdem Ecclesiæ fidelem & deuotum: facultatem deferendi arma, nulli nisi familia sua concedant: & alij concessam reuocent.*

B **I**OANNES Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in prouincia Lombardiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. EXIGIT ordinis vestri religio, & commissi vobis officij mansuetudo requirit: vt sic actus vestros virtute modestiæ componatis, quòd nemini esse possint ad scandalum, vel aliquod nocæmentum. Accepimus si quidem assertionem fidei, quod vos nonnullis prauis & peruersis hominibus, qui frequenter ad cædes, & alia nefanda facinora laxant nequiter manus suas, arma per ciuitatem & districtum Bononiensem portandi, non sine multorum scandalo, licentiam concessistis. Quare volumus & discretioni vestræ, per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus neminem familiarem, nisi eiusdem Ecclesiæ fidelem, ac deuotum, & laudabilis conuersationis & vitæ, habere quomodolibet præsumatis: nec aliquibus de cetero, extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continue (nisi forsitan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiscum, & in casibus, alijs in quibus in vobis pro securitate vestra forsitan expediret) alicui deferendi arma per dictas ciuitatem & districtum, licentiam concedatis. Et nihilominus licentiam; quam olim super hoc alijs concessistis, studeatis, remotis occasione & dilacione quibuslibet, reuocare. Vt per hoc nulla possit oriri in eisdem ciuitate, vel districtu materia scandalum paritura: nec ad nos de cetero super hoc querelæ materia deferatur.

Edita anno Domini 1321.

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensis.

Clemen. no. l'en tes. §. ff. de hær.

C Datum Avinion. vj. Non. Maij. Pontificatus nostri anno quinto.

I O A N N E S XXII.

*Inquisitores procedant contra inuentes fœdera cum hæreticis, et ceteros dantes eis consilium, opem, & fauorem: item contra quosuis de hæretica labe culpabiles, vel suspectos.*

D **I**OANNES Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Lamberto de ordine fratrum Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ prauitatis, in inferiori parte Lombardiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. CVM nonnulli de prouincia nostra, Romandiola, tam clerici, quàm laici, Deum & Romanam matrem Ecclesiam offendere, seque in præcipitium damnationis, & mortis immergere non verentes, adeo fauere & fauiffe dicantur damnatis hæreticis, confederationes, ligas, & societas in eundo cum ipsis eosque receptando, & sibi præstando multipliciter auxilia, consilia, & fauores, quod de labe hæresi se reddiderunt & redeunt vehementer suspectos: Nos tam ipsorum quàm multorum aliorum periculis, & præmissis imminentibus obuiare salubriter cupientes: discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra fauores huiusmodi, & alios quoslibet de crimine prauitatis hæreticæ culpabiles, vel suspectos, sit solerter secundum formam canonum, ac priuilegiorum concessorum Inquisitionis officio, procedere non postponas, quòd inde debeat tua diligentia merito commendari. Datum Avinion. xij. Cal. Septemb. Pontificatus nostri anno decimo.

Edita anno Domini 1326.

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensis.

I O A N N E S XXII.

E *Argumentum in extrauagantem sequentem.*

Cum Dominus Ioannes Papa xxij. anno Domini 1323, per suam extrauagantem. Cum inter nonnullos, eodem nauisset hæresim, quæ dicit Christum & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, nec etiã in cõmuni: & illam quæ falso asserit, Christo & eius discipulis, in his quæ ipsos habuisse scriptura testatur, nullum ius ipsis vtendi competiuisse, nec illa vèdendi, aut donandi ius habuisse, Michael de Cefena Minister Generalis Fratrum Minorum ei contraxit: vnde ad refrenandam hanc effrenem audaciam eodem anno 1323, aliam extrauagantem dedit incipientem, Ad conditorem canonum, quas ambas cum idem impius Michael impugnasset, anno Domini 1325, idem dominus Ioannes tertiam emisit extrauagantem incipientem, Quia quorundam in qua velut hæretici & Ecclesiæ rebelles declarantur, qui supradictis extrauagantibus, & contentis in eis contradicunt, ita scribit & vere noster Emericus in Directorio inquisitorum par. 2. q. 15, verumtamen nec sic respicit, Michael de Cefena: nam is cõ Okam & alijs